

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon Libri IIX

Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius

Lipsiæ, Anno M.DC.XXX

Ad librum VII.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1194)

v.732. SÆVA QUIDEM LUCIS MISERIS MORA)
V.N. ad Dracont. v.381.

v.737. GALEAM SINGULTIBUS IMPLET) Supra
v.511. *Et longus campos singultibus implet.*

v.738. INCENDIA BELLII) lib. 7. v. 243. *Incendia
mentis. lib. 8. v. 399. Atq; alius lueret tam sava incendia
raptor. Afinius Pollio ad Ciceronem lib. 10. ep. 33. Res
anim cogit huic tanto incendio succurrere omnes, qui Sc.*

v.744. ATRÔ NEBULAM DIFFUNDIT AMICTU)
Ita Æneid. 1. v. 415. *Æneam & socios.*

— *Venus obscura gradientes aere sapfit,
Et multo nebula circum Dea fudit amictu;
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.*

v.748. PUGNÆ IN ORAS) Ita Ennius oras ballâ
dixit.

v.750. SOLISq; JUVANT CLAMORIBUS AEMEN)
Videatur de clamore bellico Gruter. parte 1. Discurs.
ad Tacit. p. 109. El. Reufner. 2. Strategem. c. 16. & 36.
Alex. ab Alex. 4. c. 7. Camerar. medit. hist. cent. 1. c. 77.
Supra lib. 3. v. 83.

A D

LIBRUM VII.

VERS. 3. NOXq; RUIT) Lib. 1. v. 274. *Sol ruit,
& totum Minys latantibus unda deduxere di-
em. infra v. 455. Neq; enim matura ruebant
sidera. Virg. c. Æneid. v. 549. Nox ruit, Æ-
neas. lib. 8. v. 369. Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur
umbris. C. Mar. Victor lib. 2. v. 356. Nox ruit, & subita
calum obduxere tenebra. Coint. Smyrn. lib. 4. v. 657.
ἡὺς δ' ἐπὶ ῥοσε μέλαινα.*

v. 3. SOLI VENIENS NON MITIS AMANTI)
Trahas huc illud Horatii lib. 1. ep. 1. *Vt nox longa, quibus
mentitur amica.*

v. 23. IN SOMNEM) Glos. ἀκοιυντῶ, *in somnis, in dormis.* lib. 2. v. 262. *In somni lassatas turbine tandem Contuiffse domos.*

v. 24. QUAM CUM LANGUENTES EREXERIT IMBER ARISTAS.) Geminâ comparatione usus est Coimtus Smyrn. lib. 8. v. 472.

αἷς ὀπίτ' ἀλδμύηται ἐπὶ στυχύσσει ἄραρα,
ἢν τὸ πάροφθινύδυσαν ἀπέκλυσε χεῖματῶ αἰνῶ
ἄμβροτῶ ἐπιβέλσας ἢ δ' ἀζωιδμῆ ἀνεμοισι
μειδεία, τετραλῶα πολυκμήτω ἐν ἀλωῇ, Ἔς.

v. 30. Si) Pro, an. Vide Rittershus. ad Guntherum lib. 1. v. 13.

v. 35. ORBE SATOS ALIO) Vide Sitzman. ad Boethii lib. 2. met. 5. verba: *Nec mercibus undiq; lectis nova Vittora viderat hospes.*

v. 59. TEQ; PUDOR CASSI REDITUS MOVET) Homer. αἰχρῶν τοῖ δηρῶν τε μένειν, κεισῶν τε νείσθ.

v. 63. VOMERE PRESSO) Virg. 2. Georg. v. 356. *Aut pressô exercere solum sub vomere.*

v. 67. SUCCEDE MEÆ LAUDI) Lib. 1. v. 178. *Fra-terna ad crescere laudi.*

v. 68. DEERUNT) Epifynalalphâ sive Synæresi duæ vocales coeunt in unam syllabam. Prudentius in Diptycho, sive, ut legit Rosveydus doctiss. in Notis ad Paulinum p 869. Diteucho, v. 126.

Fortè Galilæis jam deerant vina ministris.

Seneca Herc. Fur. v. 831.

Deerat hoc solum numero laborum.

Et Oedipo v. 693.

Quid tam beata deesse fortuna rear?

Poet. Giff. n. lib. 2. c. 1. Ita lib. 4. v. 424. *Phinet.* Virg. 7. Aneid. v. 262. *Divitis uber agri, Trojave opulenta deerit.*

v. 70. RETRACTA) Glos. *Retractas; ἀναλογίζη, ἀναλόγη, ἀναλογίζη.*

v.76. CADMÆI HYDRI) Lib. 6. v. 437. *Cadmei dentibus hydri.* lib. 8. v. 343. *Savag; Echionis ferrò sat a persequar hydri.* infra v. 182. *Occidat aterna tandem Cadmæis monte jam seges.* Γηρῦέων ἀνδρῶν ὀλοὸς πάχος. Apollon. Rhod. 3. v. 1337.

v.77. MILBS, ET ARMATA FLORESCANT PUBE) Lib. 1. v. 222. infra v. 96.

v.80. CONTREMUITQ; METU) Ovid. 1. de arte v. 555. *Horrui, ut steriles, agitat quas ventus, arista;*
Ut levis in madida canna palude tremit.

v.83. NAUTES) ναῦτης. κνῆσενθηρὸ μετῆπων οἰήια νηὸς. Oppian. 2. Hal. v. 221. vel, ut Coimt. Smyrn. loquitur lib. 13. v. 309. ἀλὸς κνῆ βένθου, ἀνὴρ οἰήια νημῶν νηὸς. Ita autem & v. 605 *Lapithes.*

v.86. SYRTES) Fabric. ad Prudent. p. 342.

v.102. INEIDA AB AULA) Confer τὸν Ἰαμμασιώπῃν Heiderum, Polit. c. 5. p. 84. & seqq.

v.111. JO VAA) Supra lib. 4. v. 390. Ovid. 1. Metam.

v.116. DEFECTA) *Defectum*, quod ad defectionem adigitur & morti est proximum. Supra lib. 2. v. 404. *Defectaq; virginis ora cernit.* lib. 3. v. 178. *Iam candor & anni deficiunt.* Joseph Iscan. lib. 6. v. 821. *Defecere genæ, fletusq; exhausta profundo Lumina caligant; acies hebet.* Seneca Octaviâ v. 703. *Defecta, ensu.*

v.132. AN CADAT) *Cadere*, pro mori. lib. 6. v. 627. 652. 655. vide lib. 5. v. 3. infra v. 422.

v.147. TURBIDUS UT ORESTES) Hygin. fab. 119. & 120.

v.147. PÆNIS) *Pena*, sunt Furiae sive Eumenides. Silius lib. 2. *Atq; omnes adsunt Pæna.* Supra lib.

v.149. IPSUM ANGUES, IPSUM HARRISONE QUATIT) *Flagella & Angues*, perpetua Furiarum armatura. Arrian. ad Epicl. lib. 2. c. 20. εἰς Ὀρίστην

ἀλλ' ἀπὸ Ἐλαιῶν ἐλαυνόμενον θῶιδον ἐν τῶν ὑπῶν ἐξουσίᾳ
 ἔσθ'. τῆτοι δ' ἔχραλπτώτεραι αἱ ἐλαιῶναι καὶ πειναὶ ἐξουσιεῖαν
 καὶ δόδοι, καὶ ἔκ εἰων ἡρεμῶν.

v. 158. VESTIGAT) Vide supra lib. 2. v. 116. Seneca
 Hippol. v. 1105. *Membraq; domini membra vestigant canes.*
 Thyeste v. 495. *Cum feras vestigat,* Galter. lib. 3.
 v. 455. — *Canis ut venaticus altis Occulum silvis A-*
ethona nare sagaci Vestigat. Ovid. 3. Metam. v. 52. *Vesti-*
gatq; viros. Virg. 12. *Æn.* v. 482. *Vestigatq; virum.* Et v.
 588. *Vestigavit apes.*

v. 166. TOTIS ADSTANTEM NOCTIBUS ANGU-
 EM) infra v. 522.

v. 168. TOT SPIRIS) vide supra lib. 5. v. 254.

v. 169. ET IN SOMNOS SOLVAT) Dracont. v. 255.
In dulcem solvuntur membra soporem.

v. 171. ALIGERUM AMORUM) Lib. 6. v. 457. *Volu-*
erumq; exercitus omnis Amorum.

v. 179. TU FACE) Imperativus antiquus: quem &
 restituit Lucretio lib. 1. v. 30.

Et face, ut interea fera manera militiæ
Per maria ac terras omnes sopita quiescant.

Barth. lib. 17. c. 5.

v. 185. FLAMMIFEROS TAUROS) Supra lib. 1. v.
 211. infra v. 207. 281. 283. 465. 570. lib. 6. v. 434. lib. 8.
 v. 437. *ardentes tauros: ut hoc libro v. 63.* Ovid. epist.
 Medæ: & Metam. 7. v. 104. Pindar. Pyth. 4. βόις, ἐε
 φλόγ' ἀπὸ ξανθῶν ἡμύων πνέον κακοιδμίαο πυρός.

v. 194. MENTEM PERSTRINGERE LANGUOR)
 Supra v. 81. *Perstrinxerat horror ipsum etiam.* v. 482. *Hec*
mibi! cur multos stringunt tua lumina fetus?

v. 207. OSSAQ; COMPONAM) Kirchman, 3. de
 Funer. Rom. c. 8.

v. 208. SEDEMQ; DABO) Sedes, pro sepulchro.
 Kirchman, ibid. c. 10.

v. 211. SIC, UT ERAT) Infra v. 406. Ergo, ut eras, vultu defixus uterq; silenti. vide de hac locutione Gevartium ad Statium lib. 2. Silv. earm. 1. c. 7. & supra lib. 2. v. 221.

v. 212. MAGICA VIRGA) Ovid. 14. Metam. v. 278.

v. 215. FLEBILE GARDENS) Confer Boch. ad Psalm. 79.

v. 218. QUÆ TE BIUGIS SERPENTIBUS EGIT) Supra v. 120; & lib. 1. v. 215.

v. 219. QUÆ VE FUIT PATRIIS MORA GRATIOR ORIS?) V. N. 1. pont. 4. v. 35. & 3. Trist. 8. v. 8.

v. 227. OMNIBUS HUNC COMMUNEM ANIMANTIBUS ORBEM) Symmach. lib. 10. ep. 54. Eadem spectamus astra; commune cælum est: idem nos mundus involvit. Ad quæ verba vide Prudentium lib. 2. in Symmach. v. 780. ibiq; Notas.

v. 228. PATRIAM INDE VOCATO QUÆ REDIT ITQ; DIE) Confer Lipsium lib. 1. De Constant. c. 9. & Muret var. leet. 2. c. 3.

v. 229. NEC NOS, Ò NATA, MALIGNUS CLUSE-
RIT HOC) Fluminibus enim clauduntur regiones, Unde finium arbitri rectè audiunt fluvii: quomodo Jordanem appellat Tertull. De pallio. Virgil. 2. Æneid. v. 473.

Hinc Tusco claudimur amne.

Hinc Rutulus premit.

Zinzerling. Crit Promul. c. 47.

v. 236. CONIUX NON UNA GELONO) Tiraq. Connub. 7. n. 22.

v. 242. ÆSTUSQ; MIHI) Supra v. 195. Ingeminant commotis questibus æstus.

v. 244. NULLA QUIES ANIMO) Virg. 4. Æn. v. 5. Nec placidam membris dat cura quietem.

v. 252. PESTEMQ; LATENTEM OSSIBUS) Lib. 8.

v. 165. Cur tanta mihi non prodita pestis,

v. 255. **INSPIRAT AMOREM**) Imitatio Virgilii v. **Æn.** v. 696.

*Cum dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet,
Occultum inspicies ignem, fallasq; veneno.*

Infra v. 488. *Simili jam dudum adflabat amore.* Vide & v. 588.

v. 258. **LACRIMISQ; HÆC INUIT OBORTIS**) **Æn.** XI v. 41. *Lacrimis ita fatur obortis.* Observavit Jan. Gebhardus, Musarum delictum, lib. 1. Crep. c. 12. in hac vocula in Msc. Ovid. semper *ob* in *ab* permutatum. **Metam.** 1. v. 370. *Deucalion lacrimis & Pyrrham fatur abortis.* lib. 4. v. 684. *Lumina quod potuit lacrimis implevit abortis.* vide ibid. pluria.

v. 263. **UNUS IBI ANTE ALIOS QUI TUM QUOQ; PULCRIOR**) **Adi** Tiraq. connub. 2. n. 40.

v. 266. **PER TIBI**) Vide Hadrian. Card. de serm. Lat. p. 302. Briffon. De Form. lib. 8. p. 740. **Supra** lib. 6. 301.

v. 270. **QUA DATUR**) **Lib.** 2. v. 120. *Terramq; fatigat,
Qua datur.*

v. 276. **SI PELOPIS**) **V. N.** in ibid. v. 373.

v. 79. **SI DEBIT IPSA NRCI FRATREM MINORA VIRGO**) **V. N.** in ibid. v. 375; **Ovid.** epist. **Ariadnes.** **Catull.** in **Argonauticis.**

v. 287. **STRICTUMQ; IN ENSEM**) **lib.** 6. v. 281. *Strictus urget Iazygas ense.* **Infra** v. 529. *Strictus Æsonides sans frigidus ense.* **V. N.** ad **Horatii** **Oden VII.** **Epod.** v. 2.

v. 287. **RUEBAT IN ENSEM**) **lib.** 6. v. 740. *Ruit ecce ferox in fuxera Perfes.*

v. 298. **RUPTA CONDI TELLURE PREMIQ; CURFIT**) vide **prov.** *Terra mihi, prius debiscat.*

v. 301. **CËU PENTHEA BACCHUS**) **Supra** **lib.** 3. v. 263.

v. 305. **PERQUE OMNIA CIRCUM FERT OCULOS**)

LOS) Ovid. 6. Metam. v. 169. *Uta, oculos circumtulit alta superbos.*

v. 308. AUDIT & CRESCUNT IN PECTORE VOCES) Quas enim voces amans audierit semel, ea reddi auribus subinde videntur, iteranturq; ab affectu, qui eas penitus pectori velut impressit, & exinde promit, ut velut denuò audiantur. Evagrius de octo vitiis, Gennadio interprete: *Atq; animam insiciens (libidinis demon) & dicere & rursus audire verba facit, non secus ac si res ipsa cerneretur ac præsento esset.* Barth. lib. 4. cap. 4.

QUESTUQ; FATIGAT) Lib. 8. v. 386. *Urgent & precibus cuncti fremituq; fatigant Aesoniden. Et v. 86. Oxumque linguaq; manuq; fatigat vim stygiam.*

v. 313. NOCTIS HERAM) Proserpinam. Supra lib. 1. v. 786.

v. 313. DITEMQ;) Glos. *Ditis pater, πλάτων.* Et alt. *πλάτων, Ditis.* Pluto autem Latinis Dis; quem fingebant Deum divitiarum, quæ Græcis πλάτων. Eundem defunctorum deum habebant, cui sacra faciebant pro manibus.

v. 314. IPSUMQ; SIMUL DEMITTERE LETHO) De *συναπιδνήκωσι.* Comment. Terent. p. 433. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 26.

v. 319. QUÆ PONTO) Virg. ecl. 8. *Hæc herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena.*

v. 338. PRIMÔ SUB ÆVO) *Primum ævum, juvenus.* lib. 5. v. 357. Vide lib. 2. v. 653.

v. 346. PUBESCERE MALAS) Theocrit. Idyll. xi. v. 9. *ἄρην ἡνεύστων ᾤδει τὸ σέμα πὸς κρηταίφως τὴ Λανθῶ* barbilio genas inumbrans Apulei lib. 5. modo florenti lanugine barbam instruens. Ibid. Anthol. l. c. 26. *κῆρ' ἔρ' δὲ πρὸς αἰὲν ἔχων χρέος.* Apud Nonnum lib. 46. v. 201. Pentheus sibi attribuit *ἡνεύστωρ*. Vide supra lib. 4. v. 232.

v. 341. QUI NUNC EST) *Esse, vivere; non esse, perire* Barth lib. 42. c. 9. & lib. 10. c. 20. Prudent. præfat. Cathem. per quinquennia jam decem, Ni fallor, fuimus. Ibi glossa: Viximus. Salvianus lib. 3. ad Eccles. Cathol. Hoc est enim ex rebus humanis penitus excedere, totum omninò cum suo corpore hominem in præsent. à humanarum rerum esse desisse. Et lib. 6. de gubernat. Dei: Aliter jam vitiosi esse non possumus, nisi ut omninò non simus. Hinc κατ' ἄφηνισμὸς de defunctis dicitur, FUIT. Plautus Trucul. 1, 2. Ita pænè tibi fuit Phronesium. Vide Taubman. ad Plaut. Captivos 3, 3. v. 1.

v. 343. TUA ME GRANDÆVA CONSILIA) *Hic enim puellarum credulitas capitur, leditur simplicitas. Turpissimum jamè lenarum studium, qua virgineas mentes melle perungunt, ut fel infundant; promissis everberant, mollunt dulciloquiis; honestatis specie & utilitatis, damna ingerunt & inhonestis: opportunum tempus aucupantes, laqueos tendunt, quos vix Lucretia vitaret; escam parant, quam vel satur Hippolytus sumeret: arma movent, qua virginitatis Dea agide non propulsaret: munera ostendunt (Danaen omitto) inconcussum Penelopes animum everterat: minas obijciunt, quas Susanna expaveret. Quot quæso Proserpinas his harpagonibus Pluto corripit? Ha sanè sunt virge soporifera, quibus anima contacta ad Orcum descendunt. Hoc gluten, quò compacta mentium ala sursum evolare nequeunt. Demonum ancilla, qua succulentia exhausta succulentas quarunt, sollicitant, vendunt, morosa, difficiles, vieta, flaccida, rugosa, rapaces, languida, & (ut ex Plauti Ner volaria in has malorum sentinas dejiciamus) scrancia & scrupeda. Harum sancta salubriaq; videntur consilia; qua veneranda senectus fingit mentiturq; vera & severa, quibus nihil exitialis. Hoc capitur laqueo Medea, qua nimis credula aures Sireni patefacit; fidesq; idèd facile habita est, quòd consanguinea, regina potens,*

multorum experientissima & grandæva. Hæc è Ma-
serio.

v. 249. ET MONITIS CEDO MINOR) *Minor*, re-
fertur ad ætatem magis, quàm ad conditionem: aut
aliam qualitatem: sicut etiam *major* simpliciter pro
majore natu sive ætate plerumq; ponitur. Virgil. 5.
eclog. *Tu majore, tibi me est æquum parere, Menalca.*
Martial. 9. epig. 30. *Major erat mensibus ille tribus.*
Tiraq. de jure primig. q. 3. p. 308. & 288. Confer Rit-
tershus. ad Oppian. l. Hal. v. 683.

v. 356. PROMETHÆ FLOREM ET SANGUINE
FIBRÆ) Biod. 3. Miscell. c. 32.

v. 391. CUMQ; Suis AVERTI COLLIBUS AMNES)
Supra lib. 6. v. 443.

v. 399. MAGISTRIS) De hæc vide Johan. Hering. in
luculentissimo Tractatu de Molendinis, quaest. 45. n.
19. & 25. & quæ attuli ad Virgil. eclog.

v. 404. CYPARISSIS) Ita Virgil. 3. Æn. v. 678.
— *Cælo capita alta ferentes, quales cum vertice celso*
Æria quercus aut comifera cyparissi Consterant, silva
alta Jovis, lucusve Diana. Notat quippiam etiam Bar-
thius lib. 45. c. 6.

v. 410. FERSNE ALIQUAM SPERM LUCIS?) Supra
v. 203.

v. 415. HABT TALES DECET INCLEMENTIA
VULTUS) Oculi sunt animi indices: de quò Arist. l.
hist. animal. 10. Plin. lib. 11. c. 37. Neq; ullâ ex parte
majora animi indicia cunctis animalibus, sed homi-
num maximè, id est, moderationis, clementiæ, mise-
ricordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ. Contuitu
quoq; multiformes, truces, torvi, flagrantæ, graves,
tranversi, limi, summissi, blandi. Profectò in oculis
inhabitat animus. Ardent, intenduntur, nictant,
convivent, &c. D. Haschelius, *Græcarum lumen literarum*
ful-

fulgentissimum, ad lib. 2. Horapoll. c. 101. Vide supra lib. 2. v. 184.

v. 416. HASCINE NUNC GRATES, HÆC EXPECT.) Vide Richt. ax. Polit. c. 46. Ronhag. in Batrachom. lit. P. v. & seqq.

v. 420. NEC MERITUM) I. immeritum. Zinzerling. Promulf. Crit. c. 24.

v. 427. QUAM NON QUÆCUNQ;) *Quam*, pro potiusquam. vide Comment. Terent. p. 134. & Barth. lib. 2. in Eutrop. v. 206.

v. 432. NEC QUIBUS INCIPIAT VIDET) Theocr. Idyll. 17. v. 11. ἢ πρῶτον λατρεῖς; ἐπεὶ μάλα μύρια εἰ-
πῆν. Statius 1. Silv. carm. 3. v. 34. *Quid primum, medi-
umve cœnam? quò sine quiescam?* vide Prov. *Quid pri-
mum aut ultimum.*

v. 433. QUAVE TENUS) *Tænis*, quatenusve. Poet. Giessen. lib. 2. c. 1. p. 176.

v. 448. FORMÆ NE CREDE TUX) *Adi Tiraq.* connub. 2. n. 19. & seqq.

v. 456. BOOTEN) Glos. βούτης, *bubulcarius*. Est fi-
gnum cœleste prope Urfas; quod etiam *Arctophylax*
seu *auriga*, ut Suidas habet. Seneca Thyeste v. 871. *Cri-
stosq; sui cardus plausiri Arctophylax.* Palingenius Sagit-
tario: — *Converte oculos ad frigida mundi*

*Sidera, quæ geminam noster polus adspicit Arcton,
Et sua semper agit circum sarraca Bootes.*

v. 460. NON REVOCABILIS UNQUAM PUDOR) Seneca Agamem. v. III. *Et qui redire, cum perit, nescit pudor.*

v. 468. CUM VERTERIS ÆQUORA) infra v. 546. *Mihi vertite tauri aquora.* v. 552. *Effusus pandi jubet aquo-
ra tauris.*

v. 474. PERCUSSA DOLORE) Lucret. 3. v. 665. *Ita dolore.* Ita Coïnt. Smyrn. 5. v. 459. βλήμῃ ἀλγος
ἰσχυρὸν ἀφίον.

v. 478. PROFUNDI CÆLI) V. N. I. Triff. XI.

v. 488. ADFLARAT AMORE) Hesych. ἐμπιέμεσ, ἑοῦ με, ποθεῖ με. Etymolog. εἰσπνήλησι, ὁ ἐπὶ τῷ ἐρατῷ εἰσπνέει. Λακεδαιμόνιοι ἢ εἰσπνέει φασὶν τὸ ἐρατὸν. Vide supra v. 255. lib. 6. v. 465. blanda adspiramina forma dixit.

v. 503. EVASISSE) pro; quod evaserim.

v. 508. MERITIS PERIDRIA PÆNIS DESPONDIT) Richter. ax. æcon. c. 101. 135.

v. 509. FUROR) Furor enim perjurii pœna. Barth. lib. 22. c. 9.

v. 522. ANFRACTIBUS) vide lib. 5. v. 254.

v. 520. STANS FRIGIDUS) Ovid. 7. Metam. v. 136. Et subito sine sanguine frigida sedit. Theocrit. Idyll. 2. πῦσα μὲν ἐψύχθη χιόν. Perron. Ego autem frigidior hieme Gallica factus, nullum potui verbum emittere. Ovid. epist. 3. Sanguinis atq; animi pectus inane fuit.

v. 535. MONSTRI) πλώρησ. Nam πλώρη & πλώρησ monstrum ingens. Theocrit. Idyll. 26. v. 26. μέγα τέρας ἀμειλίχτιο πλώρησ, de dracone avicula pullos detorante. Ita Idyll. 24. v. 58. δεινὰ πλώρησ, angues ab Hercule elisos; sicut Coimt. Smyrn. lib. 12. dracones Laocoonti immisos αἰνὰ πλώρησ dicit.

v. 538. PUNICEO SUB ORTU) Apuleii verbis, lib. 3. initio: Commodum puniceantibus faleris Aurora roseis quatiens lacertum, calum inequitabat. Vel, ut est lib. 7. ut primum, tenebris abjectis, dies inalbebat.

v. 554. GRAVE ROBUR ARATRI) Virg. 1. Georg. v. 162. Inflexi grave robur aratri. Supra lib. 3. v. 163. Cuneisq; gemit grave robur adactus, Ovid. 7. Metam. v. 118. Pondus grave cogit aratri ducere. Robur aratri, pro aratro: sicut robur saxi apud Lucret. pro saxo. Ita hic v. 562. horror Boreæ. v. 567. ira Jovis. Adi Væchner. 22. hellenolex c. 8.

v. 563. LONGISSINA PHASIDIS UNDA) i. longinquissima, remotissima. Lib. 2. v. 642. Non tamen hac adeò semota neq; ardua tellus Longaq; jam populis impervia lucis eòæ. Tibull. I. — Veneris perjuria venti Irrita per terras & freta longa ferunt. Barth. lib. 7. c. 21. & lib. 21. cap. 8.

v. 365. FULGENTES TENEBRÆ) Ex genere ἀγνώμων est; de quibus Ritterthuf. ad Oppian. 1. Cyneq. v. 260. & Barth. ad Claud. p. 245. Dresf. ad Joseph. Hscan. lib. 4. v. 221.

v. 567. IRA JOVIS) Statius 3. Theb. v. 317.

————— Non ocius alti

In terras cadit ira Iovis, si quando nivalem
Othryn & Arctoa gelidum caput institit Offæ,
Armaritq; in nube manum. Volat ignea moles
Sæva Dei mandata ferens, calumq; trifulcâ
Territat omne comâ

v. 568. RUPERUNT VINCLA VENTI) V. N. ad Dracont. v. 528.

v. 570. TAURUS, ET IMMANI PROFLAVIT) Supra v. 185.

v. 580. ÆQUORA NON SIC IN SCOPULOS RUPUNT) Virg. XI. Æneid. v. 624.

Qualis ubi alterno procurrrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosq; superjacit undam
Spumeus, extremamq; sinu perfundit arenam;
Nunc rapidus retrò, atq; aestu revoluta resorbens
Saxâ, fugit, lirtusq; vadò labente relinquit.

v. 580. ÆQUORA IRATA) V. N. ad Horat. 2. Epod. v. 6.

v. 594. OBNI XUSQ; GENU) Lib. 6. v. 236. Fert abies obnoxa genu.

v. 595. SUB JUGA AENA) Horat. I. Carm. 33. Sub juga aenea mittere. Et 3. Carm. 9. Diductosq; jugo cogit aeneo.

v. 596. EX ARMAT) Mox exponit : *Lentumq; offer-
fert timideq; minantem.* Serpentes *exarmari* dicuntur,
quibus veneni usus ademptus est. Barth. ad Calpurn.
eclog. 5. v. 94. Silius lib. 1. *Nec non serpentes dirò exar-
mare veneno Doctus Atyr.* Onomast. *Exarmo*, $\eta\epsilon\epsilon\gamma\epsilon\omega$.
Hinc *Exarmare leones*, est eisdem adimere dentes &
ungues; quæ arma ferarum, Scalig. ad Manil. Joseph.
Iscan. lib. 5. v. 3. — *Somnoq; profundo Exarmata quies,
facilem spondebat ituris Portum.*

v. 606. CAMPOS LIBYES) V. N. ad Prudent. 2. in
Symmach. v. 936. & supra lib. 1. v. 512.

v. 606. AUT PINGUIA NILI FERTILIS ARVA)
V. N. ad Prudent. ibid. v. 920. Marc. Frid. V. Vendelin.
de admirandis Nili c. 21.

v. 607. PLENA SIC SEMINA DEXTRA SPAR-
GERE) Ovid. 3. Metam. v. 106.

v. 608. NOVALIA) Isidor. Orig. 15. c. 13. V. N. I. Pont.
v. 13.

v. 612. QUAM CUM TIRYNTHIUS HYDRÆ) V. N.
ad Prudent. peristeph. 14. v. 884.

v. 630. TELA VOLANT) Ovid. 5. Metam. v. 158.
Tela volant, hiberna grandine plura. Gunther. lib. 2. v.
589. & lib. 10. v. 154. *Saxa, faces, ac tela volant.* Virg. 1.
Æneid. v. 154. *Itaq; faces & saxa volant.* vide supra
lib. 2. v. 524.

v. 633. PHRYGIA AGMINA MATRIS) Prudent.
peristeph. 14. v. 1061, & seqq. ibiq; à me notata.

v. 636. MISEROS AGIT IN SUA PRÆLIA FRA-
TRES) Metam. 7. v. 141.

*Terrigena percunt per mutua vulnera fratres,
Civiliq; cadunt acie.*

V. N. in ibin. v. 447.

A D

LIBRUM IIX.

VERS. I. IN THALAMIS ETIAM SUA FA-
CTA PAVENTEM) *Heu quantum pana mi-
sero mens conscia donat: exclamat in hanc
sententiam Lucanus lib. 7. Nihilq; est, ait
Cicero lib. 4. de Finib. quod tam miserum faciat, quam
impietas & scelus. Quintilian. lib. 5. Infitur. Quia
enim nescit, conscientiam rem esse unam omnium efficacis-
simam; adeo ut nulla tormenta melius prodant malefici-
um; nullus carnifex severius puniat, quam conscientia.
Prov. Conscientia mille testes.*

v. 3. CÆRULEI ÆQUORIS) Lib. 7. v. 562. *Carulei
Borea ferus horror.*

v. 6. ULTIMA VIRGINEIS DEDIT OSCULA
VITTIS) Hoc dicit, quia mox nuptura erat Medea.
Turneb. 23. c. 5. Aliæ autem erant nuptarum, aliæ vir-
ginum vittæ; sed utraq; tamen ingenuarum. Turneb.
ibid. & 29. c. 4. vide Tiraq. conaub. 3. p. 67. Bernar.
ad Statium p. 160.

v. 8. ANTE PER ANTIQVI) De his vide Barthium
acutissimum lib. 18. c. 15.

v. 10. SUPREMOS AMPLEXUS) V. N. I. Trist.
3. v. 58.

v. 14. LONGÆ SENECTÆ) pro, in longam senec-
tam. Barth. ibidem.

v. 16. NUNQUAM SPERANDA) Ita Barth. Quidvis
enim potius Heros ab Æmonia sperare poterat, quam
usum reconditissimorum in Colcho venenorum.

v. 17. CONDITA LETHÆERIS PROMIT) Ita le-
git Turneb. 29. c. 4. Jan. Guiliclm. quæst. miscell. c. 2.
In veteribus editionibus est, *prodit*: quod & ipsum re-
tineri hic potest, adserente argutissimo Barthio lib. 33.
c. 13.